

indiciū habebant illud pro capite balænæ. Illi ambo! Præfectus domi & musæi, audiens hoc, mirabatur hoc nomen novum, & ipse non satis peritus, accedebat ad alium præsentem, sed in alio angulo musæi stantem, peritiorem in H. N. scil. Spenglerum, tornatorem aulicum, inquires: rogo dicas mihi sincere, num illud caput balænæ, quod semper pro capite Testudinis habui, sit tale necne. Spenglerus subridens accedebat ad ambos, quærens, quid novi ibi? Oh! respondebant ambo, jam habemus hæc! jam habemus! (sc. characterem in Tuo Syst. N) est caput balænæ! Caput balænæ? quærit tornator, num in Linnæo character balænæ capiti Testudinis poterit convenire? hoc non crederem. Ita sane! illi respondent; revera illud caput est caput balænæ, et persistebant in sua sententia usque ad diem tertium, ubi ambo tornatorem convenientes conspiciebant caput simile testæ testudinariæ adhuc adnexum. Et ita fallebatur Professor historiæ naturalis ad castrum charlottenburgense¹⁾ simul cum illo qui mare americanum historiæ naturalis gratia transnavigavit, alter vero, qui Galliam, Italiam, Sueciam &c. solummodo H. N. gratia pererravit & unice se huic studio tradidit. Licet ego illud studium non nisi tamquam secundarium colam et colere possim, sane tamen neque meus Cramerus eius erroris capax fuisset. Nos ipsi præparavimus olim & ego adhuc adservo partes sceleti balænæ. Homines sumus tamen omnes, & nihil humani a nobis alienum esse putemus. Vale.

Tuus ex asse

Havniæ. d. 25 Nov. 1761.

C. G. Kratzenstein.

¹⁾ qui semper invehit in alios verbis: Oh! quid vos vidistis? ego vero &c.